DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPE;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PATRICIUS MILLER,
Scotus.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor. HOR. *Car.* ii. 2.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.
MDCCCXXIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO

EGREGIO, AMPLOQUE GENERE,

HENRICO EVERY,

DE *EGGINGTON* IN COMITATU DE *DERBY*,

BARONETTO,

OB OMNES, QUÆ VITAM ORNANT VIRTUTES,

IN SUMMO APUD SUOS HONORE;

MEIS AFFINITATE CONJUNCTO,

MIHIQUE, ET ILLIS CARISSIMO,

HOCCE OPUSCULUM,

OBSERVANTIÆ

PIGNUS,

D. D. D.

PATRICIUS MILLER.

VIRO EXIMIO

JOANNI FRANCISCO MILLER ERSKINE,

ARMIGERO;

FAMILIA DE MAR ANTIQUISSIMA NATO,

QUUM DIGNO HONORIBUS,

TUM ETIAM VIRTUTIBUS PRÆDITO

ATAVORUM,

EORUMQUE MOX EVASURO

HÆREDI,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

PROFECTI IN EUM JAM INDE A PUERITIA AMORIS,

ET

AD EXTREMUM USQUE HALITUM PERMANSURI

MONUMENTUM,

D. D. D.

CONSANGUINEUS

PATRICIUS MILLER.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPE.

PROŒMIUM.

Cum in Medicina nondum tam diu versatus sim, ut aliquid novi proferre de proprio ullo morbo possim, judicavi fore melius generalem aliquem morbum, pro argumento Dissertationis meæ Inauguralis, seligere, eumque generaliter, pro virili meo, prosequi, quam de singulari aliquo morbo alienis verbis curiosius disserere. De Hydrope igitur generaliter agere constitui; in quo tractan-

do incipiam a Definitione, deinde de Causis, earumque ratione, tum de Præsagio, postea de præcipuis Speciebus Hydropis, et denique de Curatione ordine dicam.

Hydrops igitur definitur esse coitus præter naturam humoris, vel serosi vel gelatinosi, in telâ cellulosa, vel in cavis corporis.

DE HYDROPIS CAUSIS.

Causæ omnium morborum solent distribui in Prædisponentes, Excitantesque et Proximas. A primis intelligimus eas res quæ, etsi per se non satis sunt ad morbum faciendum, tamen reddunt corpus morbo obnoxium; a secundis eas res significamus quæ, in corpore jam opportuno, morbum excitant; a tertiis declarare volumus eas interiores conditiones corporis, unde signa manifesta morbi protinus oriuntur. Ex his causis incipiam à postremis, sive, ut vocantur, Proximis: ut quæ ipsam naturam morbi maxime comprehendant.

Itaque si volumus Hydropem constare ex coitu præter naturam aquæ, *Causa Proxima* ejus duplex esse potest; hic enim coitus accidere potest, aut ex nimia copia aquæ effusæ; aut ex nimis exigua copia resorpta; vel denique, ex utraque ex his simul sumpta. Novimus enim omnem telam cellulosam corporis, omniaque cava ejus, assidue humectari certa copia seri, quod effunditur ex vasis exhalantibus, quodque, in integra conditione partium, pari ratione assidue resorbetur; ita ut satis relinquatur ad partes lubricandas, non autem satis ad Hydropem faciendum. Si vero, ex aliquo casu, plus effiunditur ab arteriis quam tollitur a vasis lymphaticis, sequitur ut Hydrops fiat. Quæritur autem an vitium sæpius sit in prioribus vasis, an in posterioribus? Sunt enim qui negent vasa absorbentia corporis unquam, aut plus aut minus solito, absorbere posse; actio enim eorum, ut inquiunt, pene ex toto mechanica est, neque legibus vivi corporis ullo modo afficitur: semper igitur eandem copiam, non modo per vitam ipsam, verum etiam post mortem, per aliquod spatium, absorbent. Ex iis autem qui hanc sententiam sustinent celeberrimus fortasse PARRY est, qui

dicit se nunquam vidisse ullum exemplum Hydropis, quod potuit recte ad imminutam absorptionem referre; atque adeo ne unum quidem exemplum Hydropis sanati, quod potuit magis recte ex adaucta absorptione explicare. Utcunque vero hoc sit, licet certe dicere causam proximan Hydropis esse amissionem equilibrii inter vasa exhalantia et absorbentia, etsi fortasse culpa longe sæpius in prioribus est. Neque enim minus commode, omnes res quæ pertinent ad Hypropem explicantur ex adaucta effusione, quam si huic adjicimus imminutam absorptionem quoque: cumque prioris plurima testimonia habeamus, posterioris autem nullum, aut certe nullum satis firmum, licet fortasse conjicere Hydropem, nisi ubi actio lymphaticorum mechanice impeditur, semper ex adaucta effusione proficisci.

Quod ad *Causas Prædisponentes* morbi attinet, hæ præcipuæ sunt certa forma corporis, modo generalis, modo localis, eaque sæpe hæreditaria est. Hæc autem forma corporis ea est quam antiqui solebant vocare habitum Leucophlegmaticum; eademque ab his solebat referri ad corruptam conditionem fluidarum partium. Habitus leucophlegmati-

cus ostenditur laxa torpidaque conditione generum nervosorum et musculosorum, cum facie pallida parumque sana, et quadam proclivitate ad obesitatem. Hujusmodi igitur corpora Hydropi præcipue obnoxia sunt: dubium est autem ex vitio fluidarum partium an solidarum. Hodie quidem longe rarius quam olim de priorum vitiis loquimur; omniaque pene quæ ad morbos pertinent ad solidas partes referuntur. Veruntamen non est dubitandum, quin, si nullum aliud vitium, at certe tenuitas sanguinis homines Hydropi obnoxios reddat; cumque hæc tenuitas cum laxitate solidarum partium conjungitur, quemadmodum faciat Hydropem satis manifestum est.

At *Excitantes Causæ* Hydropis sequentes præcipuæ sunt. Crebræ copiosæque sanguinis jacturæ, quibus tenuitas ejus (siquidem crassiores particulæ tardius renovantur) multum adaugetur; omnesque magni fluxus aliorum humorum qui propemodum pari modo agunt. Hydrops quoque excitari potest cibis aut nimis exiguis aut parum nutrientibus; ad hæc, crebris potionibus humorum tenuium et aquosorum. Subitum frigus quoque corpori calenti admotum, Hydropis

satis vulgaris causa est; atque ita duo exempla a Cl. Doctore HOME narrantur hujus morbi, facti protinus ex epota frigida cerevisia ubi corpus incaluit. Multi morbi quoque, præcipueque febres intermittentes omnesque inflammationes, Hydropem excitare possunt; idemque morbus sæpe movetur injuriis extrinsecus illatis, quæ faciunt inflammationem, atque ita seri effusionem.

Dixi Hydropem sæpe proficisci ex nimis copiosis evacuationibus; interdum tamen, sæpiusque fortasse, movetur solitorum fluxuum suppressione, quales sunt sudor, urina, menstrua, hæmorrhoiis. Neque difficilius est explicare hanc causam Hydropis, quam priorem; non quia tenuitas sanguinis adaugetur, sed quia plus justo in vasis sanguiferis retinetur, idemque, cum per solitas vias non transmittitur, novas petit, serumque ejus in cava corporis effunditur. Similis explicatio est vulgatissimæ causæ Hydropis, impedimenti scilicet cursus sanguinis per venas; quod per se satis superque est ad quemvis Hydropem movendum. Si enim venæ, propter comprimentem tumorem, vel aliam ullam causam, sanguinem non libere transmittunt, earum extremi rami onerantur, neque

sanguinem ex extremis arteriis commode accipiunt: arteriæ igitur, quo se liberant, serum effundere coguntur. Reliquæ Causæ Excitantes Hydropis sunt, tristitia aliique deprimentes affectus animi, quibus circuitus sanguinis multo languidior redditur: ad hoc, abusus humorum ardentium frequensque ebrietas, qua potissimum omnes functiones corporis perturbantur. Quid multa? Omnia quæ ita agunt in corpus ut reddant exhalantia vasa laxiora, circuitum sanguinis per venas tardiorem, sanguinem ipsum tenuiorem, vel fortasse actionem absorbentium pigriorem, inter Hydropis excitantes causas commode enumerari possunt.

DE PRÆSAGIO IN HYDROPE.

In formando præsagio in tam generali morbo plurima circumspici debent, ratioque habenda est ætatis habitusque corporis, causarum rationis et modi, signorumque vehementiæ, et utrum ista simplicia sint, an cum aliis morbis conjungantur. Generaliter tamen quo vires solidarum partium corporis magis integræ sunt, quoque minus san-

guis attenuatur, eo citius verisimile est fore ut morbus idoneis remediis cedat; sin vero temperamentum leucophlegmaticum est, si ætas provectior, siqua causa est unde vitia organica suspicamur, si corpus lente attenuatur, si maculæ lividæ per cutem se ostendunt, si spiritus multum fœtet, si febris est summaque sitis, si homo assidue soporatur, si crebræ liquidæque dejectiones fiunt, sic tamen ut humor hydropicus non imminuatur, vel si postea quam is idoneis medicamentis imminutus fuerit, cito vehementerque redit, angusta spes est reditus ad sanitatem. Contra si, ut dixi, morbus facile remediis cedit, deficientesque excretiones, maxime urina et sudor, adaugentur, pulsusque æqualis est satisque validus, neque ulla ex præeuntibus signis urgent, summa fiducia polliceri possumus fore ut morbus aliquando discutiatur, homoque ad integritatem corporis redeat.

DE HYDROPIS SPECIEBUS PRÆCIPUIS.

Nomina variarum specierum Hydropis sumuntur ex partibus quæ afficiuntur. Si igitur ca-

put, vel potius ipsum cerebrum, sedes mali est, vitium *Hydrocephalus*, vel potius *Hydrencephalus* (uti nomen nuper bene mutatum est), sive Hydrops cerebri, vocatur. Si in pectore coitus aquæ est, *Hydrothorax* vocatur; propriaque species ejus *Hydrops Pericardii* est, ubi aqua inter laminas hujus membranæ colligitur. At si in ventre aqua coit *Ascites* vocatur; ejusque propria species est *saccata*, sub qua aqua sæpissime in uno alterove ovario colligitur. Cætera autem genera sunt, *Hydro-Rachitis*, ubi aqua in canali spinali colligitur, idque vitium sæpe cum Hydrencephalo conjungitur; *Hydrocele*, ubi in Scroto; *Hydrophthalmia*, ubi in Oculo; *Hydrarthrus*, ubi in articulo aliquo coitus aquæ est; et denique *Anasarca*, sub qua tela cellulosa, in aliqua parte corporis, morbo afficitur. Ex his omnibus speciebus autem præcipuæ sunt Hydrencephalus, Hydrothorax, et Ascites; de quibus singulis pauca nunc ordine dicam.

Sect. I. De Hydrencephalo.

Hydrencephalus fere dividitur in duas species, Acutam scilicet et Longam. Ex his vero posterior solum ad hunc locum pertinet, quia acuta species morbi, vel Hydrocephalus Internus, ut vocari solebat, ad Inflammationes potius quam ad Hydropes pertinet. Cognoscitur autem hoc malum manifesto æqualique incremento calvariæ in infantibus, ita ut ossa parum bene concrescant, suturæque apertæ relinquantur. Hic morbus sæpe ante partum incipit, puerique eodem a natalibus ipsis sæpe laborant. Interdum quidem, etsi raro admodum, adultos homines affligit, ita ut in iis quoque suturæ sejungantur, vitaque ita servetur. Atque hæc species morbi ea est, quæ a Cl. Monro Mixta vocatur, ut quæ ex acuta longaque speciebus morbi simul formari videatur.

In hoc morbo præsagium semper plus minus infelix est, ita tamen ut vix tam pestifer habendus sit, quam Hydrencephalus acutus, vel certe Idiopathica species ejus, (nuper enim morbus in

Idiopathicum et Symptomaticum divisus est), ex qua pueri raro aut nunquam ad sanitatem perducuntur.—De curatione hujus generis Hydropis, tanquam de cæterorum omnium, postea simul dicam.

Sect. II. De Hydrothorace.

Ostenditur hoc malum signis satis superque evidentibus. Summa difficultas spirandi est, fereque molesta tussis; facies pallida, vel subpurpurea est; somnus perturbatur; quodque putatur hunc morbum protinus indicare, homo sponte subitoque ex somno excitari solet, cum vehementibus palpitationibus cordis, sensuque quasi instantis strangulationis. Ad hæc, homo decumbere non potest sine summa molestia; urina parca est; cutis arida; homo siti conficitur; œdemaque pedum plerumque accedit; præterea aliquid torporis in uno alterove brachio sentitur; neque raro, si pectus certo modo agitatur, sonus circumfluentis aquæ percipi potest.

Veruntamen, etsi morbus interdum tam manifestis signis indicatur ut nullus locus erroris sit, tamen id non perpetuum est, aliquandoque summa difficultas est, non modo discernendi Hydropem Pectoris ab Hydrope Pericardii, verum etiam cognoscendi numquis omnino coitus aquæ in pectore sit. Hoc ut faciamus, sæpe necessarium est ut summa cura perscrutemur ortum progressumque morbi, signaque non modo urgentia, sed præcedentia quoque, atque ita ætatem habitumque corporis et consuetudinem vitæ hominis qui afficitur. Ad discernendum autem inter Hydrothoracem et Hydropem Pericardii, consideranda est primum positura corporis qua homo facillime spirat, quæ in priore morbo solet esse plus minus erecta, in posteriore inclinata, ita ut pectus ad genua sedentis hominis spectet: præterea in Hydrope Pericardii major proclivitas ad Syncopen Palpitationesque est, pulsusque etiam inæqualior est, et interdum admodum tardus: ad hæc, ictus cordis diffusior per pectus est, multumque infra solitum locum percipitur, neque raro duplex esse videtur, quasi manus admota sentiret primum ictum aquæ agitatæ, deinde cordis ipsius.

Quod attinet ad præsagium in Hydrothorace, colligendum, maxima ex parte, est ex iis quæ jam generaliter de hac re dicta sunt. Licet tamen scire, hunc morbum, etsi sæpe leniri potest, interdumque, ut videtur, ex toto discutitur, tamen non sæpe ita depelli, ut non redeat, hominemque citius tardiusve per strangulationem aut apoplexiam tollat.

Sect. III. De Ascite.

Hæc forma Hydropis dividitur in Abdominalem, ubi aqua colligitur in sacco ipso peritonæi, et in Saccatam, ubi in cysta propria comprehenditur; de priore specie solum hic loqui cogito. Signa autem Ascitis Abdominalis hæc sunt. Tumor æqualis, tensus, peneque sine ulla vi resiliendi ventrem occupat, idemque, si percutitur una manu alteraque contra admovetur, sensus fluctuantis infra humoris satis manifestus est. His indiciis accedunt omnia generalia signa Hydropis; qualia sunt pallida et quasi tumida facies, sitis assidua, cutis arida, et urina parca, sæpeque plus solito albuminis continens.

Non sine difficultate inter Ascitem aliasque conditiones corporis discernitur ; præcipueque aut cum Graviditate, aut cum Tympanitide confunditur. A Graviditate autem dignosci potest, non modo istis generalibus signis de quibus proxime dixi, sed ratione tumoris, omnibusque indiciis quæ graviditati propria sunt. Si igitur mulieri menstrua suppressa sunt, si mammæ tumidæ sunt, areolæque papillarum evidentiores, si matutina nausea vomitusque urgent, merito suspicamur tumorem ventris, non ex Ascite, sed ex graviditate proficisci. Tympanitis autem ideo discernitur partim quia communia signa Hydropis desiderat, atque partim quia tumor in illa renititur magis si comprimitur, et, si percutitur, præbet non sensum circumfluentis humoris, sed sonum quasi a percusso tympano ; præterea, crebræ emissiones venti Tympanitidem comitantur, tumorque incipit non ab ima parte, velut in Ascite, sed magis generaliter protinus ab initio diffunditur, neque, uti in Ascite, mutat sedem suam ex positura corporis, sed pene omnibus posituris par esse videtur.

Eventus hujus morbi colligendus est, partim ex ætate hominis habituque corporis, partim ex ratione excitantis causæ, quæ quo facilius discuti potest, eo sanabilior morbus erit.

DE HYDROPIS CURATIONE.

In Hydrope curando consilium triplex est, primum tollere causas unde morbus oritur, deinde ipsam aquam educere, denique corpus corroborare, atque ita impedire ne coitus aquæ iterum fiat.

Ad primum consilium medendi assequendum opus est, non modo ut arceamus vel imminuamus eas externas causas quæ adhuc operantur, sed etiam ut curiose perscrutemur eas internas causas, unde protinus amissio æquilibrii inter exhalationem et absorptionem, de qua supra dixi, oritur. Itaque si ex generali imbecillitate morbus ortus fuisse videtur, hoc consilium unam curationem postulat; aliam autem si ex lenta inflammatione; aliamque si ex impedimento circuitus sanguinis, sive id impedimentum sit ex torpore, sive ex mutatione structuræ in aliquo viscere, ut puta in pul-

mone, jecore, liene, iisque similibus. Proprii modi autem has tales causas depellendi ad curationem meri Hydropis parum pertinere videntur; itaque hos, utpote quos satis evidentes esse existimem, hic prætermittam, ut ad secundum caput consiliorum medendi veniam.

Alteram partem curationis Hydropis eam esse qua conamur effusum humorem tollere jam proposui; eamque potissimum assequimur concitando alios fluxus ex variis partibus corporis, unde aut minor fluxus in hydropicam partem fiat, atque ita (si actio absorbentium par est) tumor imminuatur, tandemque tollatur; vel ipsa actio absorbentium vasorum adaugeatur; atque ita (etsi par fluxus est) tumor sensim decrescat et discedat. Utro modo autem medicamenta quæ hoc consilio dantur potissimum agant, in curando Hydrope, quæstio est; etsi verisimile est, uti dixi cum de causa proxima Hydropis sermo fuit, hæc magis in imminuendo fluxu, quam in adaugenda absorptione, prodesse. Dubium enim est an possimus omnino actionem absorbentium intendere; dum rursus satis evidens est, si possumus ullas excretiones ex corpore præter naturam movere, cæ-

teras omnes protinus, ex lege quadam naturæ, imminui. Sed, ut hæc omittamus, proponenda sunt ea medicamenta quibus maxime utimur ad aquas hydropicas educendas, quæque potissimum ea sunt quæ aut in ventriculum, aut in intestina, vel in renes, vel in cutem agunt.

Ex his *Vomitoria*, etsi apud nos minus sæpe adhibentur, tamen apud antiquos frequentissima ex remediis Hydropis fuerunt; neque quidem hodie, in quibusdam Hydropibus, uti in Hydrocele, omnino spernuntur. Plerumque vero incerta admodum remedia sunt; cumque tot alia quæ magis prosunt habeamus, non mirum est nos his rarius nunc uti.

Proxima his *Purgantia* sunt, quæ inter validissima Hydragoga remedia, uti vocantur, non immerito enumerantur, idque magis in Ascite, quam in reliquis Hydropis speciebus. Ex his optima acerrima sunt, siquidem commodum quod ex iis percipitur eo majus esse solet, quo plus seri evocatur. Itaque non laxantibus tam opus est, quam acribus, et, ut vocantur, drasticis; qualia

sunt Gambogia, Colocynthis, Scammonia, et ante omnia Elaterium, quod propria quadam facultate, in Hydrope curando, a quibusdam frui putatum est.

Si vero *Diuretica* remedia paulo certiora essent, hæc optima certe essent in Hydrope depellendo; eademque, etsi incerta admodum sunt, ea tamen sunt quibus hodie maxime confidere solemus. Ex his quæ sint validissima parum constat, modoque Digitalis, modo Scilla, modo Colchicum, plurimum valere videtur; itaque hæc aliaque similia invicem danda sunt, donec plenum commodum ex iis percipimus. Simul vero cum his remediis debemus *Diluentia* libere inculcare, neque enim Diuretica remedia, nisi eodem tempore satis multum potionis sumitur, multum prodesse reperiuntur. Hoc nesciebant antiquiores medici; itaque assidua sitis apud istos in curatione Hydropis semper præcipiebatur; quam perperam tamen et ratio et experientia satis superque ostenderunt.

Postrema medicamenta *Diaphoretica* sunt,

quæ interdum quidem, raro tamen, in Hydropibus curandis adhibentur: cum autem validiora remedia certe habeamus, eaque quæ certius agunt, hæc merito a plerisque hodie negliguntur.

At præter medicamenta aliis remediis quoque utimur ad aquam hydropicam evocandam; qualia sunt Frictio, Fasciæ, Electricitas, Vesicatoria, vel denique Ferrum. Cum vero hæc ad certos Hydropes solum apta sint, omniaque, præter ultimum, eodem modo quo medicamenta agant, sine incommodo fortasse hic prætermitti possunt.

Ultimum consilium dixi esse corpus confirmare, atque ita reditum Hydropis arcere. Quæ ad hoc remedia idonea sint omnibus pernotum esse arbitror; neque quidem eorum curiosa enumeratio ad hujusmodi dissertatiunculam apta esse videtur.

FINIS.